

R. P. D.
CORIO
Toletana Canonicatus.

Lunæ 11. Ianuarij 1723.

OST duo Iudicata Rotalia ędita ſuper executione Litterarum Apoſtolicarum, quas ſuper prouiſione Canonicatus in Primitiali Eccleſia Toletana, tamquam de reſeruato, reportauerat; vſque ab anno 1709. Ioſeph Fernandez de Iubera; alterum ſcilicèt Rm̃i D. mei Decani, & alterum bo. me. Anſaldi, præuijs de more Deciſionibus euulgatis 5. Iulij 1716., & 14. Maij 1717., Defenſores Capituli, qui occaſione ſignantèr petendi nouam Audientiam, irrito licet conatu

A ſtre-

strenue tamen jura sua deduxerant pro retardatione executionis dd. Litterarum ex capite impuritatis sanguinis ad præscriptum Statuti Ecclesiæ, super qua coram eodem bo.me. Ansaldo Compulsorias generales præcedenter obtinuerant, non modicum tempus consumpsere in diuersis recursibus,& signanter ad Signaturam Gratiæ, à qua, & si vsque ab anno 1718.rescribi obtinuerint pro facultate compulsandi quosdam Processus aduersus Collegia S. Idelphonsi, & S. Crucis, non obstante juramento, quo eadem Collegia obstricta erant de non patefaciendo, sub præfixione tamen termini sex mensium, nihilominùs huc vsque res inutiliter protracta fuit, mediantibus pluribus prorogationibus, post quas demum cum ex decreto R.P.D. Auditoris SSmi Causæ Commissio directa fuerit Rmo P..D. meo Herrera cum clausula *Alteri qui ad vlteriorem legitimam* = Ego in illius locum subrogatus duo subscripsi Dubia, alterum *An sit concedenda compulsoria specialis*, de quo in contemporanea mea Decisione, alterum eidem Commissioni conforme super negocio principali: cui responsum extitit = *Procedendum esse ad vlteriorem* = ob compertam præcedentium Iudicatorum Iustitiam super Litterarum Apostolicarum executione, quæ, cùm fuerint in forma gratiosa expeditæ, sibi celerius promærebantur executionem ex passim firmatis per *Rot. in Senogallien. Canonicatus* 29. *Ianuarij* 1706. §. *Siquidem coram bo.me.Ansaldo, & in Colonien. Canonicatus* 26. *Februarij* 1720. §. *Quandoquidem coram Me*.

Quin ad offuscandam iustitiam quicquam profuerit obiecta impuritas sanguinis ex Statuto S. Ecclesiæ Toletanæ, apta quoque retardare admissionem Prouisi Apostolici, super qua Defensores Capituli, licèt super hoc Dubio informare dissimulantes, occasione tamen alterius Dubij super Compulsoria ingenti mole 147. §§. nil intactum, quod excipi viriliter valuisset, reliquerunt. Nam cum ex Processu informatiuo per Canonicum Commissarium compilato neutiquam resultet ass. probatio impuritatis, id vnum sufficeret, ne sub hoc prætextu excludi amplius valeat Ioseph, cui probè suffragatur Iuris præsumptio pro puritate assistens ad firmata per *Ricciul. de Neophit. cap.*7. *num.*22. *Rot. coram Mantic. decis.*274. *num.*1., *& in rec.dec.*166. *n.*38.*par.*1., *& dec.*182. *num.*2., *& decis.*185., *&* 196. *per tot.ead. par.*1. *Duran.dec.*131., cuique ideò ad terminos Statuti opus non est probare puritatem, sed exuberat, quod ex informatione capta per Capitulum, cui spectat onus probandi, non constet de macula infectionis ad hoc, vt exindè statim dicatur probata puritas, vt in specie probat *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæst.*63. *à num.*41. *vsque ad num.*104. *Card. Alb. de inconst. in Iud. cap.*24. *num.*148. *cum plurib. seqq.*, & seruata Littera, Spiritu, & ratione Statuti constans semper fuit sensus nostri Auditorij, vt videre est *coram Mantic. d. decis.*

274.

274. *num.1., & dec.307. per tot. coram Scraph. dec.50. coram Coccin. decis.68. vtrobique, seù per tot. coram Merlin. decis.368. num.6. coram Ludouis. decis.455. num.15., & decis.498.*, inn.tò themate, & latissimè in *rec. dec.167. à num.31. ad finem dec.186. à num.4. ad 9., & dec.196. per tot. par.1.* quæ omnes prodierunt super interpretatione huius Statuti Toletani.

Quæ si indubitantèr procedunt, fortiùs obtinere debent in casu, quo ex Processu informatiuo nedum non constat de aliqua, licèt minima macula impuritatis, sed imo plena puritatis probatio resultat ex depositionibus 60., & vltra Testium, *aduersùs quos* testantes de nobilitate, & puritate sanguinis Iosephi, eiusque omnium Ascendentium, vtpotè à Canonico Commissario examinatos ad suì complacentiam, ac sine vlla Iosephi citatione, aut participatione, aut scientia *Escobar. quæst.6. §.7. num.22.* facilè datum non est exceptiones proponere, vt in puncto respondit *Rot. coram Mantic. decis.285., & in rec. dec.277. nu.3. par.2.* Quapropter inaniter obijcebatur quoad illos octo examinatos in Terra Acquauiuæ, quod non forent attendendi, ex quo Iosephum sub ea tantum ratione qualificauerint, quod nihil sciuerint, aût dicere audiuerint de eius impuritate; Omisso enim, quod certò certiùs exindè non resurgeret vlla impuritatis probatio, quæ ex firmatis à Capitulo concludi debuisset, præcisius vrget, quod imò ex præfata depositione, ex qua affirmatiuè pro nobili qualificatum apparet cognomen Familiæ Torres illius Loci, rectè oriri valet puritatis probatio, quæ de cætero ex sola communi reputatione, omnisque in contrarium rumoris exclusione ritè concluditur, vt pluribus adductis in specie propugnat, ac latè tuetur *Carleual. de Iudic. lib.2. disp.3. n.38., & per tot. Rot. coram Mantic. dec.317. n.1., & 3.*

Potissimum quia eisdem cohærenter adstipulantur, tùm alij 17. Testes examinati in Villa Matriti, qui insubsistenter hodie redarguebantur sub obtutu, quod nullam habuerint notitiam lineæ Paternæ Iosephi, quando eorum examen in littera præferebat dicti Iosephi puritatem, eiusque omnium Ascendentium, tàm ex linea Paterna, quam Materna: & quando id ipsum expresè testatus fuit Canonicus Commissarius, qui omittendo transcribere depositiones septem Testium inquit = *e tutti dissero vniformemente, e nella medema conformità, che quelli esaminati in scriptis, dando buona ragione, e conto nelle loro deposizioni di detto Gioseppe de Quignoñes de Medina, & altri per le notizie di questo, e della natiuità del Pretendente, e delli suoi Genitori, & Aui Paterni, e Materni, come della sua purità di sangue, e qualità* =

Tùm, & alij in ingenti numero 30. examinati in Ciuitate Siguntina, qui omnes testati sunt de puritate, & nobilitate Familiæ Prouisi, exceptis duobus, qui in nihilo attendi debent, siuè quia conquas-

 san-

ſantur à tot alijs numero pluribus, vt generalibus omiſſis in terminis probat *Carleual. de Iudic. tit.2. diſp.3. ex num.35. ad 38. & per tot.*, & aduertit *Deciſio Rm̃i Decani* §. *Neque vlla*, & *bo. me. Anſaldi* §. *Quin obſtare*, ſiuè etiam quia deponunt de rumore infectionis non conſtanti, dum alter ipſorum teſtatur de ſolo auditu à Canonico Retuerta, quod Familia Iſabellæ de Torres quintæ Auiæ Ioſephi fuerit à Sac.Inquiſitione Conchen. de annis 1541., & 1544. pœnitentiata, alter autem nihil deponit; quàm de ſimplicibus colloquijs habitis cum Benedicto Martinez, & dicto Canonico Retuerta, qui de infectione huius Familiæ ſuſpicabantur, vndè non eſt, quod minimum probationis gradum poſſint attingere, ſtatim ac ipſimet ingenuè referunt, quod ipſe Canonicus Retuerta fatebatur = *Che la verità di quello realmente era non lo poteua ſapere, perche non aueua inteſo dire, che la detta Iſabella Torres foſſe ſtata penitenziata nella ſua perſona, mà ne tampoco poteua diſcernere, ſe era Deſcendente, ò Figlia, ò Nipote delli Torres, che ſi conuertirono l'anno* 1492., *che ſeguì l'eſpulſione degl'Ebrei*, ne alias credatur Teſtibus de auditu ab eo, qui veritatem facti ignorare profitebatur, vt probat Deciſio bo.me. Anſaldi §. *Nihilominùs*, & conferunt deducta per *Eſcobar. de ſang. purit. par.1. quæſt.12. §.4.num.23.*, vbi quod ſola auditus probatio non attenditur, cum alijs in ſpecie per *Rot. coram Pænia deciſ.821. n.6.*

Quod ſi iuris præſumptioni comes accedens tot Teſtium depoſitio indubitatam reddere videntur puritatis probationem, huic deſuper non modicam vim adaugent tot ſequentes poſitiui actus, per quos conſtat, Aſcendentes Ioſephi pluſquam longè vltra ſæculum continuò admiſſos fuiſſe ad Canonicatus, Dignitates, & Officia honorifica Status Nobilium in Ciuitate ab annis 1516., in Collegio Lucen., & Eccleſia Oxomen., in quibus rigoroſa puritatis Statuta vigent, & ſeruantur, non enim negari poteſt, quod conſtans fama puritatis, de qua, vt ſupra Teſtes depoſuerunt, tot poſitiuis actibus, præuijs rigoroſis probationibus legitimè æditis, magis clarè fulciatur ex animaduerſis per *Eſcobar. de purit. par.1. §.8. num.28. Parexa de ædit. Inſtrum. tit.10. reſol.4. num.24., & ſeqq.*

Indeque eſt, quod horum è conſpectu in nihilo attendi valeant duo negatiui actus Collegij S. Idelphonſi, quod de anno 1645. renuit admittere ad Becam honorificam Hieronymum Iamon, & Collegij S. Crucis in Vniuerſitate Valliſoletana, quod de anno 1679. non admiſit Ioſephum Fernandez Seniorem; Cum enim facilè ſuaſum eſſe nequiret, quod duo Actus negatiui tot, tantiſque alijs poſitiuis præualerent, hoc ipſum ad euidentiam aſſequimur inſpecta rationis differentia, quod actus poſitiui ædi non valuerunt, niſi præuijs legitimis probationibus, quibus Statuto rigoroſo

roso Puritatis fuerit satisfactum, ideoque veram Puritatis probationem præsupponunt *Rot. coram Ludouis. decis. 498. num. 10., & 18., & coram Coccin. decis. 68. num. 12.* Actus verò negatiui non admissionis ad Becam honorificam in Collegijs, vtpotè pendentes à probationibus sine vlla solemnitate ad instructionem animi procuratis, & à sola voluntate Collegialium, qui in non admittendo ex solo rumore etiam falso, vel ex alijs moueri potuerunt, vt aduertit *Escobar. de sangu. purit. par. 1. quæst. 12. §. 3. num. 46., & par. 2. quæst. 7. num. 6. Amaya in Apolog. pro Stat. Colleg. Conchen. num. 2., & seq. Amostaz. de Caus. pijs lib. 3. cap. 10. num. 32., & seq.* cum alijs in Decis. Rmi Lancettæ *§. Cessat, & bo. me. Ansaldi §. Et sic*, nullum probationis gradum, aut adminiculum super impuritate constituunt, iuxtà communiter firmata per *Valenzuel. cons. 90. n. 155. Gundisalu. à Villadieguo tit. de malef. cogn. per Inquisit. n. 8.*, & latè *Nouerol. alleg. 25. à num. 298. ad 303. Carleual. de Iudic. tom. 2. lib. 1. tit. 2. disc. 3. per tot. Parexa de ædit. Instrum. tit. 10. resol. 4. n. 26., & seqq.*, & pleniùs *num. 28., & 36.*, & proindè obesse nequeunt Prouiso Apostolico, pro cuius ius ad rem habentis exclusione, non solus rumor, sed præcisa, & concludens probatio impuritatis requiritur, vt præter latè adductos sub *§. Quin ad offuscandum* distinguendo firmat *Amostaz. de Causis pijs lib. 3. cap. 10. num. 47., Rota in Pacen. Canonicatus 26. Iunij 1715. coram R. P. D. meo Falconerio, & 24. Aprilis per tot. coram Reuerendissimo Rauennaten.*

Idque signanter locum sibi vindicare debet in hypothesi, qua non admissionem in dictis duobus actibus verè constat innixam fuisse simplici rumori, quod tunc concurrentes ad Becam honorificam, vel vt Descendentes ab Isabella Torres suspecti esse possent de infectione, ex quo de Annis 1541., & 1544. fuerint à Sacr. Inquisitione Conchen. pœnitentiati aliqui de Familia Torres Siguntina; Hic autem rumor insubsistens non minus detegitur ex eo, quod ex Processu informatiuo per Canonicum Commissarium compilato constet, binos Testes, qui tunc initium assertæ suspicionis in medium produxerunt, stimulis conscientiæ se retractasse; tùm ex eo, quod immediatè ad dictam non admissionem Hieronymi Iamon docetur Franciscum eius fratrem præuia exactissima probatione Puritatis obtinuisse declarari in Familiarem Sacræ Inquisitionis, & Iosephum Fernandez Iubera non admissum in Collegio Sanctæ Crucis de Anno 1679. creatum fuisse de Anno 1681. Iudicem eiusdem Sacræ Inquisitionis, ex quibus contemporaneis qualificationibus deriuantibus à Tribunali Sacræ Inquisitionis non admittente nisi habente indubitatam Sanguinis puritatem, vt benè *Escobar. de puritat. sang. part. prima quæst. prima §. 8. num. 28.*, omnis, qui tunc irrepsisset rumor,

su-

sublatus dicitur, vt testatur *Escobar. de Sangu. puritat. part. prima quæst. prima* §.8. *num.*28., *Rot. coràm Duran. decis.*316.*n.*2., *& coràm Merlin. decis.*368.*num.*9.*in fin. coràm Pæñia decis.*830. *num. primo*.

Sed imò falsus manifestè redditur ex hoc solum, quod numquam probatum fuerit Isabellam de Torres, quæ est quinta Auia Iosephi fuisse consanguineam illorum de Torres, qui in Ciuitate Seguntina pœnitentiati extiterunt, quæ sane probatio ab allegante impuritatem concludi omninò debuisset, optimè *Rot. coràm Seraph. decis.* 50. *num. primo*, *& coràm Pænia decis.* 921. *num.* 7., & quidem præcisiuè ab identitate cognominis, quæ descendentiam, seù identitatem Familiæ non probat ad theoricam *Bartol. in leg. demonstratio falsa num.* 18. *in fin. ff. de condit.*, *& demonstrat.*, *Crauet. consil.* 370. *num.* 4., *Gamm. decis. Lusit.* 378. *per tot.*, *Cyriac. controuer.*281. *num.*29., *&* 33., cum alijs apud *Rot. cor. Coccin. decis.*2342.*num.*19., 20., 28., 26., *& seqq.*, *& cor. Caril. decis.*190.*n.*14., *&* 15., & in his terminis *Rot. cor. Ludouis. decis.*355.*n.*10., *&* 18.

Et nihilominùs tantum abest probationem huiusmodi vnquam fieri valuisse, vt si deficiens videri posset ex hoc solum, quod in Ciuitate Seguntina, in qua fuerunt pœnitentiati à Tribunali Sacræ Inquisitionis Conchen. illi de Torres Pharmacopulæ, plures adsunt Familiæ nobiles sub cognomine Torres, iuncto signantèr, quod ex genealogijs illorum quatuor condemnatorum de familia Torres, quas ipsi met Inquisiti exhibere tenentur quoad Ascendentes, Descendentes, & Collaterales, vt testatur *Emeric. in direct.* 3.*part. tit. de mod. interrog.*, rectè *Ludou. de Param. de orig. Inquis. lib.*3.*quæst.*2.*num.*54., *Valenzuel. consil.*90. *num.*86., *Escobar. de purit. part.*2. *quæst.*6. §.*primo num. primo*, haud vnquam nominata inuenitur Isabella, vt habetur ex præclaro Testimonio Secretarij Sacræ Inquisitionis Conchen. ex Mandato Supremi Consilij, cui plenè deferendum sæpiùs dixit *Rota*, & signantèr coram *Manzaned. decis.*661. *num.*6. *decis.*835. *num.*5., *& coràm Duran. decis.*316. *num.*2., *& sequen.*; certò certiùs ad detegendam omnimodam erroneitatem tunc insinuati rumoris validiùs vrget, quod Isabella Ascendens Iosephi haud quaquam fuit originaria Seguntina, sed quidem originaria probatur Terræ Acquauiuæ, vt habetur, tùm ex qualificatis Testibus in ingenti numero 143. examinatis de Anno 1646., quorum sexdecim in ipsa Terra Acquauiuæ à Tribunali Sacræ Inquisitionis Conchen., tùm ex alijs 35. Testibus examinatis ab eodem Tribunali Anno 1681. tàm in Ciuitate Seguntina, quàm in dicta Terra, tùm ex alijs à Commissario Toletano nuper repetitis, quorum dicta de per se attendenda ad exuberantiam mirabilitèr fulciuntur, ex antiquis Instrumentorum sex enunciatiuis, nèc non

non pluribus Testamentorum, aliorumque publicorum actuum documentis in Processu relatis, quę deriuantiam Isabellæ à Terra Acquauiuæ nil commune habentis cum Familia de Torres Seguntina sine hæsitatione, præstringunt optimè *Rot. coràm Duran. decis.131.num.13.*, cum alijs in *Decisione bonæ memoriæ Ansaldi §. Sed in vniuersum*; Diuersitas quippè Patriæ, seù originis diuersitatem Familiæ connotat, vt probat *Escobar. de purit., & nobilit. par.2.qu.16.§.2.n.29.*, vbi concordat.

Huiusmodi autem probatio, quæ extra necessitatem in casu à Proviso Apostolico deducitur, frustrà impugnari tentatur sub obtutu illegalitatis dictorum Instrumentorum, quando ex Processu informatiuo constat, à Canonico Commissario, cui Capitulum plenam fidem dare tenetur, ad firmata per *Escobar. de puritat. part. prima quæst. 4. §. primo num.29., & 39.*, super eorum legalitate interpositum fuisse Decretum, & quando præter tot qualificatos Testes, qui originem Isabellæ à Terra Acquauiuæ, eiusque puritatem, & nobilitatem concludunt, si alijs opus foret adminiculis, hæc præstò essent, & signanter ex similibus Decretis super eorumdem Instrumentorum legalitate interpositis à Sacro Tribunali Inquisitionis Conchen., & ex constanti puritatis fama, qua contemporaneè ad cōdemnationem dictorum de Torres de Anno 1541., 1544., & 1551. constat, potitos fuisse, tàm Isabellam, quæ diem claudens extremum tumulata docetur in Claustro Cathedralis Ecclesiæ Seguntinæ cum honorifica Inscriptione, solitaque Armorum appositione coniuncta cum Insignijs Sanctæ Ecclesiæ Seguntinæ, quàm eius Descendentes, dùm Alphonsus Fernandez, qui tamquam Secretarius Sacræ Inquisitionis Conchen. Processum confecit contra dictos de Torres pœnitentiatos, Nuptias de Anno 1546. contraxit cum Anna filia prædictæ Isabellæ, & in seruitio Sacræ Inquisitionis Conchen., non solum continuauit, sed etiam de Anno 1551. fuit ab eodem Tribunali delegatus ad formandum Processum contra alium de Familia Torres Seguntina. De Anno 1598. Don Petrus Salazar Nepos Isabellæ prouisus extitit de Canonicatu, & Præbenda in Ecclesia Siguntina munita Statuto puritatis, aliasque similes prouisiones obtinuerunt de Annis 1611., & 1624., & 1636. alijsque successiuis temporibus Descendentes Isabellæ. Quippè quia fama hæc constans, & proxima condemnationi dd. de Torres in Ciuitate Seguntina, diuersitatem Familiæ Isabellæ necessariò præsupponit, & tamquam antiqua præferenda venit cuicumque rumori, qui longè postmodùm subinferri tentatus fuerit *Can. de Parentela 35. quæst.6., Garzias de nobilit. glos.18.§.1.n.13., Valenzuel. consil.92.n.191., & seqq., Escobar. de Sang. purit. part. 1. qu.2.§.2.n.5.*

Si itaque ex toto Processu scatet omnimoda puritas Iosephi, sique omnes exceptiones Capituli, cui onus probandi impuritatem spe-

ſpectaſſet, clariſſimè pœnitùs proſternuntur, inaniter excipiebatur; quod probationes non eſſent adhuc completæ, ſub quo inſubſiſtenti prætextu non eſt vlteriùs retardanda Litterarum Apoſtolicarum executio. Eo vel maximè quia ſi iuxtà Pragmaticam à glor.mem. Philippo IV. ad finem conſulendi publico bono ſuorum Regnorum publicatam, quamue à San. mem. Vrbano VIII. confirmari obtinuit, habetur, quod tres actus poſitiui obtenti, vel à Tribunali Sacræ Inquiſitionis, vel à Conſilio Ordinum, vel à Religione Sancti Ioannis, vel à Capitulo Toletano in hac materia Puritatis conſtituerent rem Iudicatam haud retractabilem, etiam per ſucceſſiuam detectionem maculæ, vt latè refert *Eſcobar. de Sangu. Purit. part.2. quæſt.4. artic. primo, & plurib. ſeqq.*, vltra tot alias probationes, cum Ioſeph exhibuerit, non tres tantum, ſed quatuor poſitiuos actus à Tribunali Sacræ Inquiſitionis deriuantes, & quidem in ſui perſonam; qui de Anno 1712. donatus fuit familiaritate dicti Tribunalis, & poſtmodum creatus Inquiſitor totius Regni Murtiæ; In perſonam Ioſephi Fernandez Iubera Senioris, qui de Anno 1681. renunciatus fuit Iudex Sacræ Inquiſitionis; Et in perſonam Franciſci Iamon, & Rocci Fernandez deſcendentium à ſepefata Iſabella Torres, quorum primus de Anno 1646., & ſecundus de Anno 1647., meruit paritèr eligi Familiaris dicti Tribunalis Sacræ Inquiſitionis; Vtique allegare valuiſſet præſidium huius rei iudicatæ à dicta Pragmatica conſtitutæ, quæ ex ſui natura faciens de albo nigrum, rem claram, & manifeſtam conſtituit *Leg. non minorem 20. Cod.de tranſact.*, cum alijs generaliter adductis in *Ferrarien. Cauthelæ Angeli ſuper Immiſſione* 26. *Iunij* 1719. §.*Deſtituta cor.R.P.D.meo Falconerio*.

Non attento, quod dicti actus poſitiui non fuerint continuati, ſed interrupti ex ſupranotatis non admiſſionibus ad Collegia Sancti Idelphonſi, & S. Crucis; Præter quod enim reſpectu ad non admiſſionē ad Collegium S. Idelphonſi de Anno 1645. verificantur actus poſitiui omninò continuati, aſſerta nihilominùs interruptio obicem præſtare nequit rei iudicatæ, quia dd. non admiſſiones in nihilo attendi merentur, vt ſuperiùs probatum fuit, & de cætero regulare eſt, quod tres Sententiç, quibus parificati videntur actus poſitiui rem iudicatam conſtituant, non obſtante, quod aliqua intermedia in contrarium fuerit pronunciata, vt firmant *Card. in Clem. final. quæſt.6. de appell.*, *Abb. in Clem. prima de Sent. & re iudic.*, *Gratian. diſcept.42.num.2., & ſeqq.*, *Rot. cor. Dunoz. Iun. dec.980.n.12., & in Rec.dec.667.n.2.par.19.*

Et ita leuioribus omiſſis, quæ inſubſiſtenter cumulabantur reſponſum fuit &c.

ROMÆ 1723. Typis Reu. Cam. Apoſt. (*Superiorum permiſſu.*